1/695

Lane Medical Library

DE HYDROPSIIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXVIII. M. OCTOBRIS A. MDCCCXLVIII
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

AEMILIUS NICHÉ
POSNANIENSIS.

OPPONENTIBUS:

C. HECKER, MED. ET CHIR. DR.
J. ZABOROWSKI, PHIL. CAND.
H. GOERING, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI
TYPIS GUSTAVI SCHADE.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA40153318_0191

P A T R I

O P T I M O, M A X I M E V E N E R A N D O

ATQUE

PATRUO

DILECTISSIMO, OPTIME DE SE MERITO

HASCE PAGELLAS

SACRAS ESSE

VOLUIT

AUCTOR.

Nutritio partium corporis ita efficitur, ut pars quaedam sanguinis, qui per arterias in vasa capillaria deducitur, percoletur, id quod et tenuitate parietum illorum vasorum, et attractionis quadam vi, quae cellulis telarum inest, maxime adjuvatur. Supervacuus sanguis advectus aut per venas ad cor reducitur, aut si nimis magna quantitas vasa excessit, una cum cellulis, quae functionibus non amplius praeesse possunt, liquefactis, a vasis lymphaticis imbibitur, et in venas quasdam majores effunditur, nisi forte pars haec secretioni alicui praeposita est.

Hydropsia nihil aliud est, nisi accumulatio liquoris sanguinis in interstitiis telae cellulosae saccisque nonnullis clausis, atque si momenta nutritionis singula respicimus, haud difficile erit intellectu, quodque eorum, quoties a naturali actione recedit, quibusdam sub conditionibus talem accumulationem causari posse.

Si irritatio aliqua in parte exoritur, vis cellularum ejusdem sanguinem attrahendi crescit, affluxus sanguinis augetur, et quum venae ad reducendam massam adauctam

non sint aptae, plus e vasis capillaribus excedit, quam quod per vasa lymphatica imbibatur. Aut vasa capillaria transitui liquoris sanguinis minus resistunt, quod et ex paralysi nervorum, qui vasa comitantur, pendere potest, et ex resolutione parietum, vitiosam ob nutritionem. Aut sanguis dilutior est, sive propter nutrimenta prava, sive propter suppressionem secretionum. Aut particulis telarum deest vis commutandi ea, quae e vasis excesserunt. Denique vasa revehentia, id est vasa lymphatica atque venae, a functionibus suis prohibita esse possunt.

Causae hydropsiarum occasionales variae sunt: erethismus tunicarum serosarum, telae cellulosae, unde hydrops ille inflammatorius autoribus dictus, qui certo inflammatorius non est; si enim inflammatio adesset, effectus sine ulla dubitatione alius foret. Erethismus autem ille excitari potest: turbatione exanthematum atque transspirationis, imprimis si sudor modo artus occupat, suppressione secretionum, quibus corpus erat assuefactum, irritatione, quam partes depravatae in finitimis movent. Hydropsiis activis autorum eaedem subsunt causae. Hydropi contra passivo, asthenico, occasionem praebere possunt: deminutio actionis nervorum, extenuatio parietum vasorum, dissolutio sanguinis, impedimenta in vasis revehentibus posita. Atque haec rursus per omnia, quae corpus debilitant, efficiuntur, quorum in numero sunt: nutrimentum malum aut parcius, exercitatio motusque corporis deficiens, commoratio in locis humidis solis

accessui praeclusis, inanitio per haemorrhagias atque suppurationes diuturnas, angor atque sollicitudo gravis, medicamenta resolventia, cathartica, ne longus sim, omnia debilitantia per longum tempus adhibita; morbi diutini earum corporis partium, quae in sanguificationem grave exserunt momentum, hepatis, pulmonum. Paralyses pari modo agunt, decussatio nervi vagi oedema parenchymatis pulmonum conflat. Si impedimenti quid adest, quominus sanguis libere per venas transeat, locus hydropsiae passivae datur. Quod impedimentum situm esse potest, aut in canali venae ipso, e. g. si obliteratio post phlebitidem evenit; aut impedimentum hoc foris in vas agit, exempli gratia uterus gravidus; aut positum est in hepate, in corde.

Praedispositio ad hos morbos et coeli temperatione et singulari cujusque hominis conditione sistitur. Ad alteram spectant commoratio in locis humidis, paludosis, ubi nebulae maximam diei partem campis insident et coelum obtegunt, vicissitudines temperationis coeli frequentes. Ad alteram pertinet aetas; prima aetate permulti hydrocephalo acuto periclitantur; provecta aetate, qua epidermis minus jam humectatur, qua secretio per renes diminuitur, hoc morbo ii prae ceteris aegrotant, quorum organa intra saccum peritonaei sita valde sunt evoluta, qui pectore quadrato insignes sunt, quorum ventriculus propter abusum spirituosorum cibos concoquere nequit, quorum musculi emollientibus potibus, et malis nutrimentis

sunt relaxati, porro qui nimia obesitate probant nutritionem non esse satis efficacem, alias enim alimenta, interdum parcissima sumta, tantam pinguedinem non gignerent; cibus igitur ab iis non satis concoquitur.

Quae e vasis in saccos atque telarum interstitia transierunt, aut maxima ex parte cum iis congruunt, quae secundum legem naturae nutritionis certaeque cujusdam functionis causa e vasis excedunt, aut plus minusve ab iis discrepant. Quod rursus ex causa occasionali, praedispositione, atque ex eo pendet, utrum congesta per longius quoddam tempus in eo loco consederint, nec ne. Longa illa commoratio in loco affecto, quam autores defendunt, non adeo certa mihi videtur. Multo enim facilius atque saepius mortificatio partium propinquarum usu veniret, nisi effusa ullo modo in vasa redirent, ut ibi animentur. Vasis lymphaticis porro corporis omnes partes abundant, atque per tot anastomoses illa inter se conjunguntur, ut inertia eorum, de qua autores saepissime disserunt, non comprobanda mihi videatur.

Principia effuso in fluido atque in liquore sanguinis sunt eadem; albumine illud minus abundat, et quidem in partibus cordi propinquioribus plus albuminis reperitur, quam in remotioribus, quae res non ita difficile est explicatu. Etiam aquae major copia in effusis plerumque invenitur, quam in sero. Sed etiam principia, quae in sanguine sano propter continentem eliminationem non reperiuntur, si organa, quibus functio illa eliminationis

inest, laesa sunt, in aqua hydropica cernuntur, exempli gratia urea, cholepyrrhinum. Inde fluidum colore flavo aut viridi saepissime imbutum est. Spissitudo secundum causas variat. Si concoctio ciborum in hydrope erethistico nondum laesa, si in hydrope tunicarum serosarum paracentesis adhibita est, fluidum densius apparet. Si plasmatis satis magna quantitas exsudavit, haud raro consolidatio atque organisatio ejusdem invenitur, cellulae, corpuscula puris, hydatides, formantur.

Ubicunque secretio in partes, quae nullatenus cum aëre cohaerent, satis copiosa fit, accumulationis secreti atque hydropis occasio offertur. Qui quidem saepissime in tela cellulosa subcutanea atque in saccis, qui tunica serosa sunt instructi, sedem sibi deligit. Distinguendi hic sunt sacci serosi, qui secundum legem naturae omnibus in corporibus insunt, atque illi, qui vitiosa quadam vi formativa efficiuntur, neoplasmata. Inter primos ponuntur pleura, peritonaeum atque processus ejusdem, qui testiculos in scrotum descendentes comitatur, pericardium, arachnoidea, membrana Descemetii, hyaloidea, bursae mucosae atque sacci synoviales; inter alteros autem hydatides, quae certo a tumoribus cysticis non distinguendae sunt, ipsa in natura rei nullum discrimen reperiri potest. Hydrops telae cellulosae, hydrops subcutaneus, aut partialis est, loco quodam circumscriptus, qui oedema vocatur, aut majorem in partem corporis diffusus, quem hydropem anasarca nominamus. Etiam in superficie

externa tunicarum serosarum, inter hanc atque partes adjacentes, accumulatio fluidi exoriri potest, nam hydrops peritonaei, maxime diversus ab ascite, nihil aliud est. Hydrops submucosus est effusio liquoris sanguinis inter tunicam mucosam et partes adhaerentes, oedema epiglottidis, glottidis, laryngis atque tracheae morbi haud rari sunt. Oedema parenchymatosum, physconia autorum, est intumescentia parenchymatis organorum, orta nimia ex ingurgitatione fluidorum. Pulmones, cor, uterus, hepar talem in modum aegrotare possunt; intumescentia hepatis post febrem intermittentem saepe incipientis ascitae aut hydropis anasarca signum est. Interdum organa, quae ductibus excretoriis cum aëre conjuncta sunt, obstructis illis secretis implentur, atque ad eum gradum extenduntur, ut rupturae superveniant, v. c. exemplum ut afferam, hydrops renalis nonnullorum. Nulli autem jure morbus hic hydropsiis ascriptus est. Sunt, qui uterum aquis nulla membrana contentis distendi posse putent. Quid est, quod impediat, quominus aqua haec, dum nascitur, per orificium uteri atque vaginam profluat?

Accumulatio liquoris sanguinis extra vasa efficit, ut telae adhaerentes submoveantur, si minus resistunt, plus minusve extendantur, id quod in hydrope subcutaneo, ascite et multis aliis videmus. Quo minus autem vi cedunt, eo magis aliae partes compressione laeduntur, quod magis jam in hydrothorace, maxime in hydrocephalo apparet. Perturbatio functionum partium compressarum non

semper ex quantitate liquoris conflati pendet, saltem non ex illa sola, quo celerius enim illa augetur, eo graviora laesae functionis symptomata sunt, dum aqua paullatim ad eandem quantitatem accrescens, minores molestias affert. Porro, quo membrum quoddam majoris momenti est, eo majorem vim functio ejus turbata in oeconomiam totius corporis exserit. Instauratio, nutritio vitiosa, in morbo tanta dissolutione sanguinis partiumque solidarum insigni, haud facile toleratur. Vexatione intestini, pulmonum etiam optima quaeque valetudo infestatur. Insuper si pressio cerebri atque medullae spinalis accedit, vires jam extenuatae facillime franguntur, subsequitur paralysis.

Animum hic loci advertamus ad id, qualem rationem turbatio functionum earum partium, quae secretionibus et absolutis et relativis praesunt, in hydropsias exhibeat? Diminutio aut oppressio earum functionum potest ne ipsa hydropsiam movere? Hydrops posthac aeque atque secretio mutata nonne nituntur morbo alio, immutata sanguinis temperatione? Atque si suppressio secretionis cujusdam tam crebro hydropem movere videtur, nonne saepissime vis nocendi prae reliquis corporis partibus temperationem sanguinis commutavit?

Inde a tempore, quo Blackall in urina hydropica albumen reperit, atque Bright post eum in cadaveribus hydropicorum, qui albuminorrhoea laboraverant, se semper desorganisationem quandam vidisse retulit, non tantum hoc in morbo, qui a Bright nomen obtinuit, sed

etiam aliis in hydropsiis, renes primum affectos esse, atque inde mutationem sanguinis atque hydropem oriri, multi crediderunt. Quam saepe autem albumen in urina eorum invenitur, qui bona valetudine utuntur? Quam saepe degeneratio illa renum Brightii, quamvis et hydrops et albuminorrhoea affuerint, non reperitur? Atque degenerationem illam semper apparere si concederemus, tamen adhuc sub judice lis esset, utrum degeneratio illa primarius morbus fuerit, ansamque hydropsiae praebuerit, an effectus decompositionis sanguinis praecedentis. Morbus iste prae ceteris potatores invadit atque eos, quorum habitus tuberculosam diathesin offert, quorum transpiratio fuit suppressa, quos post exanthemata acuta paralysis nervorum cutis adorta est. Nonne necesse est, hisce omnibus in casibus commutatio sanguinis existat? Animali cuidam si liquorem sanguinis in venas infundimus, aut malum aut parcum tantum nutrimentum porrigimus, urina albuminosa fit. Albumen autem uti in tubulos uriniferos transit, atque in urina apparet, ita etiam in interstitia illorum tubulorum, in parenchyma renum exsudatur, atque post concretionem his in locis aspectum renes granulosum habent. Exsudatione denique atque concretione albuminis vasa minima capillaria substantiae corticalis comprimuntur, unde anaemia ejusdem. Sin autem hic degeneratio renum primarius esset morbus, certissime non semper ambo renes degenerati apparerent, quod contra, si temperatio sanguinis commu-

tata granulationi renum occasionem dat, semper fiat, necesse est.

Urina in hydropsiis aut diminuitur, aut eadem quantitate, qua antea, aut adaucta profluit; principia ejus anorganica quod ad multitudinem saepissime mutantur; urea interdum diminuitur, aut omnino deest, atque corpuscula sanguinis quibusdam sub conditionibus conspiciuntur. Cutis functio inprimis commutatur, sudor per eam non emergit; in hydrope erethistico rubescit atque incalescit, contra, si hydropsia est passiva, valde pallescit atque refrigeratur. Quaeritur autem, utrum exhalatio per cutim omnino cessare possit, atque, si hoc minus probabile est, quaenam principia, quae secundum legem naturae hac via excluduntur, in sanguine hydropico retineantur? Respiratione pari modo pars quaedam aquae ex sanguine in vaporem commutata exit, estne quantitas illa in hydropsiis eadem, quae in corpore sano? Excrementa plerumque sunt solidiora.

Sanguis hydropicorum interdum quidquam phlogistici habet, quin etiam haud raro crustam fibrinosam edit; tamen saepissime dilutior reperitur, albumine, fibrina atque corpusculis sanguinis aliqua ex parte privatus. Quod, quum ita sit, ad animandas corporis partes minus aptus erit, unde virium tanta illa defectio.

Ratio quam cunctae corporis partes cum hydrope alunt, duplex est: hydrops enim aegrotationem universalem aut localem sequitur, et rursus totum in corpus vim

suam exserit. Quodque vario modo indicatur: perturbatione secretionum; commutata temperatione sanguinis ob impeditam victus concoctionem atque aquae receptionem ex liquore effuso. Cachexiae generali atque imperfectae nutritioni totius corporis occasio tali modo datur. Color faciei evadit exsanguis, partes antea turgentes consumuntur, calor vitalis decrescit, membra omnia aqua tument, macies incrementa capit, actiones nervorum atque musculorum sine energia perficiuntur. Simulac dissolutio sanguinis progreditur, simulac fluidum accumulatum partes adhaerentes irritat atque resolvit, partim ex irritamento liquoris dissoluti, partim ex impedita vegetatione partium febris hectica oritur. Pulsus evenit parvus, vacuus, celer, frequens, lingua exsiccatur; symptomata incipientis putredinis apparent, urina foetorem reddit, excrementa vehementer putent, sapor urinosus aegrotum infestat; tumescentes extremitates atque genitalia funestum erysipelas majoribus aut minoribus cum bullis occupat; denique delirium, coma, decubitus instantis mortis sunt signa. Acceleratio pulsus respirationisque jam antea ex mala sanguinis constitutione oriri possunt, quum enim sanguis resolutus ad normalem nutritionem minus sufficiat, partes illae actione adaucta nutritionem sustentare student.

Locis jam enumeratis majorem aut minorem quantitatem liquoris in cadaveribus videmus, cui plus minusve plasmatis inest. Si albumine redundat, adhaesiones partium inde ortae reperiuntur, sin minus, telae adjacentes

maceratae, solutae atque desorganisatae sunt; fluidum inprimis musculos occupat. Etiam telae cellulosae atque tunicae serosae aqua commutatae sunt, partim tenuiores, partim condensatae, partim vasis relaxatis impletae conspiciuntur. Pinguedinis nihil reliquum est, membra omnia maxime macilenta. Granulationis renum jam antea mentio facta est, renes modo majores, inprimis initio morbi Brightii, modo minores reperiuntur. Saepe, ut causae moventes, desorganisationes variae hepatis, cordis, pulmonum, ovariorum etc. adsunt.

Fluidum hydropicum aut ab initio complures corporis regiones occupat, aut exiguum modo spatium, tum majore tum minore cum proclivitate ad alias partes progrediendi, id quod ex causis et sede morbi pendet. Quis est, quin intelligat, injurias, quae in omnes partes vim suam exhibent, unde mala sanguinis temperatio gignitur, qualem in anaemia, in chlorosi reperimus, etiam hydropem pluribus in partibus concitare posse? Sin autem hydrops localem aegrotationem sequitur, ex natura morbi, ex sede ejusdem atque ex loco accumulationis pendebit, utrum hydrops etiam in alias partes progressurus sit, nec ne. Si compressione partes laeduntur, quae gravi alicui functioni praepositae sunt, inprimis quae sanguificationem adjuvant, morbus mox universalis evadit. Hydrops autem paullatim tantum in alias partes, aut omnino non, procedit, si morbus primarius atque aqua conflata in partibus sita est, quae in sanguificatione nullius

sunt momenti, quo in numero est hydrocele atque hydrops saccatus. Obliteratio venae cujusdam majoris primum localem hydropsiam movet, quum autem circulationem sanguinis continenter impediat, sanguis cunctus mutatur, atque hydrops omnibus in partibus gignitur. Hydrothorax initio, quum pulmones paululum tantum comprimuntur, atque libere adhuc aëre extendi possunt, oxydationem sanguinis minus impedit. Increscente aqua, sanguis ex ventriculo dextro cordis non amplius libere propellitur, venae cavae contentum suum in atrium dextrum non effundunt, atque ita necessario omnes partes intumescunt.

Hydrops vel chronicus vel acutus est. Celeriorem decursum hydrops ille erethisticus habet, praesertim initio, ubi etiam typum, quem dicimus, certum, secundum morbum concitantem varium, interdum observamus. Post aliquod tempus autem erethismus disparet, et hydrops evadit asthenicus.

Si constitutio illa, quae effusioni liquoris sanguinis occasionem praebet, nostrae potestati submittitur, si eam amovere possumus, sanatio hydropis haud difficilis est. Remota illa aqua accumulata in vasa recipitur, atque mox resorptio atque secretio liquoris sanguinis pares fiunt. Vis medicatrix naturae, spontanea reactio, hydropem chronicum, quod idem est omnibus in morbis chronicis, haud facile sanat. Sed etiam hoc usu venit. Tali in casu crises conspiciebantur, urina, sudor, diarrhoeae copiosae. Aqua alia via minus usitata profluere potest,

per vaginam, vomitus vehementes, salivationem spontaneam, dilatata per foraminula cutis, aut per epidermidem in bullas elevatam his diruptis effundi. Quum igitur tales post evacuationes spontaneas interdum aegroti sanarentur, medici nihil aliud opus esse ad curationem hydropis credebant, nisi eliminationem aquae quibuscunque viis. Persaepe autem eaedem crises sine ulla aegritudinis levatione evenerunt, imo mors eo citius supervenit. Apud illos certo alia praeterea causa sanationis affuit. Partes aqua effusa circumlutae facile inflammantur, degenerant atque dissolvuntur; liquor ipse varium in modum mutatur, si albumine redundat, in gelatinam facile coit. Fluidum interdum subito in vasa recipitur, unde symptomata eadem, quae ex infusione aquae in venas oriuntur, dyspnoea atrocissima, vires praeter opinionem, improviso quasi, fractae, apoplexia. Aut celerrime alio in loco seponitur, ita post imbibitionem aquae hydrothorax in catarrhum suffocativum transire solet. Hydrops talis a loco suo tam facile aberrans vagus dicebatur.

Si hydrops in mortem exit, causa in morbo, qui hydropem concitavit, saepissime posita est; hydrops autem compressione partium, quae valde ad vitam sunt necessariae, laesione functionum earum, paralysi multum ad mortem inducendam conferre potest. Non raro dissolutionem sanguinis confectio virium atque febris hectica sequitur, corpus, ut ita dicam, colliquescit, urina ut in diabete augetur, corpus multo sudore diffluere videtur,

alvi profluvium, denique febris typhosa, delirium, coma, decubitus, erysipelas, quod facile in gangraenam vertitur.

Praedictio, quid aegroto eventurum sit, praecipue causas occasionales respiciat, necesse est, quas si tollere nequis, exempli gratia in hydrope ex degeneratione cordis prodeunte, prognosis mala apparet. Si enim mala sanguinis constitutione, partibus, quae solidam formam ineant, deficientibus, nimia serositate ejus, hydrops nititur, quaeritur, utrum medicamentis nostris, quae ars contra hujusmodi dilutionem sanguinis praescribit, prospere uti possimus, nec ne. Atqui optimum maximeque efficax medicamentum tali in casu bonum est alimentum, quod debito modo concoctum ex intestinis in vasa sanguifera transit. Prognosis igitur erit bona hoc in hydrope, si aegrotus alimentum bonum sibi parere potest, atque si ad bonam ejus concoctionem satis virium adhuc habet.

Potatores, quum provecta aetate in hydropsiam incidunt, neque hoc rarum est, magno in periculo versantur. Salubre alimentum sumere atque sufficientem ejus quantitatem, inde a tempore, quo in vitium hoc delapsi sunt, paullatim dedicerunt; ventriculus eorum fluidis tantummodo assuefactus, etiam optimum quodque alimentum non concoquit, et medicamenta, quae sano corpore ventriculum ad majorem actionem incitant, sensibilitate ejus spirituosorum narcoticorumque abusu extincta, nihil amplius valent.

Scorbutum atque morbos chronicos si hydrops sequitur,

non raro vires corporis eo gradu infractae sunt, ut, quod earum reliquum est, ad restaurationem in integrum non sufficiat. Quo tenuior sanguis est, quo magis corpus morbo antecedente confectum reperitur, quo magis turgor vitalis collapsui cessit, eo magis timendum esse compertum habemus, ne pessimum eveniat. Prognosis in hydrope arthritico ex eo maxime pendet, utrum medicamentis, quae ad revocandam anomalem secretionem in primum locum affectum adhibemus, bono cum successu utamur, necne.

Hydrops acutus vulgo meliorem prognosin quam chronicus praebet, nisi ex accumulatione liquoris nimis prompta atque ex compressione vehementi partium ad vitam sustentandam necessariarum, paralysis imminet. Hydrops post intermittentes omnium fere facillime sanatur. In epidemiis morbillorum atque scarlatinae malignis, interdum statim ab initio eruptionis exanthematis anteriori in parte colli usque ad maxillam inferiorem oedema cernitur una cum intumescentia linguae atque raucitate; facillime gangraena inde oritur. Omnium morborum acutorum maxime scarlatinam hydropsia sequitur, idque primis aegrotationis diebus rarissime fit, et quae hoc tempore symptomata apoplectica tam periculosa videntur, nunquam ex accumulatione fluidi inter membranas cerebri, atque in ventriculis pendent, sed potius ex majore ad cerebrum sanguinis affluxu. Multo saepius post aliquot dies desquamatione impedita membra intumescunt, atque hydrops

iste fulminis instar aegrotum invadere et exitialis esse potest, praesertim si symptomata compressionis cerebri medullaeque spinalis, aut gangraena, quae plerumque prae ceteris partibus in genitalibus oritur, cito apparent.

Si in dysenteria inflammatio tunicae muscularis intestini usque ad intestinum tenue procedit, si meteorismus, pulsus parvus, atque delirium asciten erethisticum incipientem significant, vitam summum periculum subire, compertum habemus, nisi vesicatoriis ad abdomen applicatis, quominus inflammatio progressus faciat, cito impedire possumus. Neque multo melior rerum conditio est, si dysenteriam hydrops passivus sequitur. Intestinum crassum, interdum etiam pars intestini tenuis, tunica mucosa est denudata, secretum hepatis, succus gastricus, alimentum quod sumitur, necessario tractum intestinalem continenter irritant, alvique profluvium sustinent; nihilominus si hominem morti eripere vis, prae omnibus nutritio restituenda est.

Quid de prognosi hydrocephali acuti dicam? Si primo in stadio morbi, quamvis omnibus auxiliis utamur, pertinaciter siccitas narium persistit, sudore membra non teguntur, parum tantummodo spei restat. Vomitus, convulsiones, fere semper mortis appropinquantis sunt indicia.

Neque tantum a causis sed etiam a sede prognosis hydropis pendet. Anasarca si adest, fluidum pressione partes tantummodo minus graves laedit, contra in ascite

partes ad vitam valde necessariae comprimuntur, inde etiam varia utriusque prognosis, ascites autem certo iniquior est. Contra ascitae prognosis melior est, quam hydrothoracis, praesertim si aqua utroque in latere exstat. Hydropis ovarii curatio rarissime cuidam bene cessit, inprimis si aqua compluribus in saccis fuit accumulata; neque malum hoc saepe diutius fertur, ob partium in abdomine sitarum compressionem. Exempla tamen ab autoribus referuntur, ubi intumescentia haec complures per annos minus feminas infestavit. Paracentesin uno in casu vicies institutam esse, Neumann narrat, et tamen femina haec adhuc impigre rei familiari operam impendit. Hydatides cerebri nunquam sanantur. Hydropem uteri abortus sequitur. Hydrarthrus facillime ankylosin, arthrocacem itaque jacturam partis affectae infert. Hydrophthalmus secundum sedem atque extensionem varium eventum habet; si aqua tantummodo anteriore in camera adaugetur, curatio probabilis est, contra si hydrops in substantia vitrea, aut utroque in loco, ut in buphthalmo, adest, organon visus in integrum restitui nequit; nihil nisi exstirpatio nobis restat, atque fortunam fautricem nos habere credamus, nisi degeneratio carcinomatosa post operationem ingruit.

A multitudine atque constitutione liquoris effusi quoque prognosis pendet; quo plus plasmatis ei inest, eo magis partes singulae cum aliis coalescunt, atque desorganisationem ineunt. Quo major est quantitas aquae,

eo magis membra circumluta compressione laeduntur; respiratio difficilis fit, quam suffocatio excipit, symptomata cerebralia accedunt, ut apoplexia, irregularitas actionum cordis, quam paralysis ejusdem sequitur. Extensio nimis magna cutis erysipelati atque gangraenae locum dat. Quo magis functiones partium secernentium diminuuntur, eo boni eventus spes minor.

Si secretiones atque excretiones copiosae levationem dolorum afferunt, optimum sperandum est. Quod si colliquescente quasi corpore minus fit, mors haud longe aberit. Membra quum sudare incipiunt, turgor vitalis si redit, bono animo simus. De vita desperemus, si haemoptysis, phthisis atque haemorrhoidae fluentes hydropem comitantur, idque magis etiam, si febris hectica incepit. Praeterea medicamenta, quibus frustra usi sumus, tempus, quod morbus perduravit, atque fines, quibus hydrops describitur, in praedictione ejus, quid venturum sit, non negligenda sunt momenta.

Hydropsiae inter eas aegrotationes ponendae sunt, in quibus therapia nostra aut omnino nihil efficit, aut in quibus saltem nunquam certo praedicere possumus, num hocce aut illud medicamentum rem ad desideratum eventum sit adducturum. Neque rarae sunt hydropsiae ex partium degeneratione oriundae, quae certo a medico nunquam prospere tractabuntur.

Causam morbi si novimus, prae ceteris id agendum est, ut eam removeamus, ejusque indicationes sequamur.

Liceat mihi hoc loco nonnulla de curatione hydropsiae post intermittentes, afferre, idque inprimis hac ex causa peto, quod, si indicationi causali hoc in morbo obsequimur, facillime secundum proventum habemus. Sunt, qui credant febrem intermittentem aegrotum inde a tempore, quo hydrops incepit, non amplius vexare. Hi autem vehementer errant; quamvis enim paroxysmi in dies leviores eveniant, dum infirmitas vasorum pari modo incrementa capit, tamen suo tempore pulsum vasorum frequentiorem, febrilem observabimus. Chinino sulphurico, adjunctis medicamentis aromaticis atque opio, nisi hujusce contraindicatio congestionibus ad cerebrum sistitur, febrem intermittentem depellimus, atque una cum ea, praesertim in juvenibus atque hominibus antea robustis febri tantum extenuatis, etiam physconia hepatis atque hydrops cedit. Quomodo indicationi causali in hydrope aliis ex morbis oriundo satisfaciamus, therapia illorum docet, longum esset singula persequi, pauca tantummodo afferam. Si hydrops ex suppressione transpirationis, aut sudorum, quibus corpus assuefactum erat, ex refrigeratione in exanthematibus, ex aberratione secreti in morbo arthritico pendet, primaria aegrotatio restituenda erit, ita ut partes primum affectas irritemus. Tumores, qui circulationem sanguinis per venas interrumpunt, medicamentis aut operatione amoveantur. Contra dyscrasias specifica adhibeamus. Si victus tenuis, commoratio in locis humidis a sole prohibitis in causis sunt, aegrotum meliorem ad con-

ditionem adducamus. Neque semper facillimum est, causam hydropsiae cujusdam cognoscere, quod saepe in ascite usu venit. Sunt, qui dicant, tali in casu fluidum accumulatum amovendum, atque tum cognita causa contra eam agendum esse. Sed qua via aquam expellamus? Si medicamento casu nobis primum oblato utimur, fortasse, quod cupimus, eveniet. Sin autem minus, quid tum faciamus? Hac via si longius procedimus, aegroto nocebimus. Multi nobis paracentesin offerent, sed hac de operatione mox verba faciam.

Aliam deinde rationem sequimur, si erethismus, aliam si torpor adest. Ad hominem robustum si arcessimur, cujus cutis sicca sed calidior debito, pulsus vasorum frequens, durus, plenus, hydrops circumscriptus loco, ubi irritatio fuit, sensibilitas ibi adaucta est, si igitur hydrope erethistico aeger laborat, methodus sedativa atque aliqua ex parte antiphlogistica eligenda erit. Maxime autem cavendum est, ne antiphlogisticis abutamur. Erethismus enim nunquam longius tempus perdurat, atque energia vasorum jam pressione fluidi atque sanguinis dissolutione diminuitur. Symptomata autem asthenica atque torporis si praevalent, si pulsus vasorum febrilis omnino deest, cutis frigida apparet, vires hominis aetate confecti jam extenuatae, decursus morbi chronicus est, medicamenta roborantia atque excitantia adhibita melior eventus excipiet. Victus utroque in casu necessario varius erit, atque medicamenta adjuvabit.

Quum liquor sanguinis praeter naturam ex vasis in partes corporis excedens has non modo infestet, sed etiam periculosissima symptomata interdum excitet, nihil aliud agendum esse medici crediderunt, quam ut aquam viis, quaecunque per rerum naturam admitti potuerint, ex corpore eliminarent. Eventus tamen utplurimum spem eorum fefellit, nisi forte ratio instituta aliam adhuc vim in corpus exhibuit. Sauciata cute aqua ex tela cellulosa, quum singulae cellulae inter se communicent, effluere potest. Per acupuncturam aut scarificationem fluido igitur viam aperimus, atque naturam nos imitari credimus, quae interdum dilatata per foraminula cutis aquam magno cum aegroti levamine emittit. Tamen hydropicus tali modo maximo periculo exponitur; facillime enim inde, ut jam supra diximus, erysipelas magna cum proclivitate ad gangraenam oritur, levatio, quae aegroto infertur, periculum hoc non adaequat, mors enim acceleratur. Fasciis, quas ita applicamus, ut membra aequabiliter comprimantur, certo majus auxilium aegroto ferri potest.

Saepe ex saccis tunica serosa instructis aqua per paracentesin egeritur; non modo aquam amovere hac operatione volumus, sed etiam in partibus adhaerentibus vulneratione levem inflammationem, atque majorem vasorum secernentium contractilitatem excitare studemus. Si, nimiam ob extensionem tunicarum scroti in hydrocele, cognoscere non possumus, utrum testiculus atque funi-

culus spermaticus integri sint, nec ne, quod sciamus, si operationem radicalem facere volumus, necesse est, paracentesin summo jure instituimus. Si autem speramus, tali modo hydropem sanatum iri, magno errore irretimur; parietes cavitatis non coalescunt, atque mox hydrocele ad eandem amplitudinem pervenit. Quod si impedire volumus, vehementiorem tunicarum inflammationem, sive per infusiones, sive majorem per vulnerationem, excitemus. Pejorem eventum paracentesis in ascite habet. Aquam emittere atque vasa majorem ad contractionem adducere medici efficere studebant. Secundus proventus rarissime cernitur, post aliquot dies peritonaeum pristinam ad amplitudinem aqua extenditur. Neque aliud quidquam exspectari potuit, quum in hydrocele idem evenerit. Si re vera inflammatio gignitur, quod multi cupiunt, priorem ad hydropem alter morbus periculosior accedit, qui mortem accelerat. Si autem inflammatio mitior est, plasmatis, quod ad coalitionem intestinorum reliquarumque partium in abdomine sitarum sufficit, certissime plus secernitur. Levatio molestiarum consideranda non est. In hydrope ovarii complures plerumque sacci aqua impleti reperiuntur, etiamsi unum eorum perforamus, nihil hoc emolumenti affert. Quomodo autem muliere adhuc vivente distingues, utrum plures sacci, an unus tantummodo adsit? Paracentesis hujusce insequente infusione faustum eventum sortiri potest, si periculum peritonitidis evitamus. Hy-

drothorax utroque in latere si adest, paracentesin duplicem instituere nemo audebit, respiratio tali modo non liberaretur, sed mox aegrotus mortem occumberet. Si autem hydrothorax est simplex, si suffocatio imminet, precibus atque afflictationi cedendum est. Paracentesin in hydrope pericardii nemo certo facile instituet.

Hanc aquae excludendae rationem directam nominamus, cui indirecta, secundum quam organa secretionis ad majorem actionem incitamus, stricte opposita est. Per renes enim, pulmones, cutem atque alvum, quod superfluum aquae in corpus venit, valetudine integra eliminatur. Secretiones hae, ut jam supra diximus, in hydrope imminutae sunt, igitur, non tantum, quia multi in impedita earum partium functione causam hydropis positam esse censent, sed etiam quia magis naturae institutioni tali modo obtemperari credimus, has in excludenda aqua vias prae ceteris eligimus. Medicamentis diureticis, catharticis atque sudoriferis hoc consilio utimur. Ex causis occasionalibus, ex sede hydropis, ex temperatione organorum, quae ad eliminationem aquae adhiberi possunt, atque ex majore aut minore confectione virium metiendum erit, quaenam eorum medicamentorum eligenda, et quomodo iis utendum sit. Ex suppressione transpirationis si hydrops oritur, neque cutis nimis sicca adest, fortasse sudorifera nos adjuvabunt. In hydrope post dysenteriam nemo cathartica adhibebit. Hydrothorax

facillime diureticis sanatur. Si vires extenuatae sunt, cathartica, atque sudorifera, utpote nimis debilitantia, nocent. — Partes illae si valde sensibiles sunt, medicamina mitiora eorumque parvae doses initio sufficiunt; post aliquod autem tempus organa irritamento huic assuefiunt, fortiora tum remedia majoresque doses sunt praescribendae. — Interdum si organon aliquod diutius incitatur, laetus eventus intercipitur, nihil aliud tum opus est, quam ut medicamen per aliquot dies seponamus. Si etiam tale post intervallum acerrimis quidem remediis organon repugnat, in aliud oportet agamus. — Non semper medicamentum eas partes movet, quas moveri volumus, diuretica salina haud raro alvi profluvium efficiunt, atque diuresis non mutatur, quod aut ex nimis magna dosi, aut ex adaucta intestini sensibilitate pendet, quae in curatione interdum nos adjuvare potest.

Diuretica omnium medicaminum evacuantium minime vires debilitant, attamen difficilius est diuresin quam diarrhoeam movere. Hydropi erethistico maxime tartarus depuratus, Natron nitricum, Kali carbonicum atque prae ceteris herba digitalis purpureae respondent. Utrum effectus digitalis in hydrope a vi, quam in vasa sanguifera exhibet, aut ab incitatione renum pendeat, difficile dictu est. Hydropi autem asthenico magis scilla, oleum terebinthinae, oleum juniperi, baccae ejusdem, balsamus peruvianus, cantharides, narcoticorum autem colchicum, co-

nium maculatum atque opium conveniunt. Ubi renes sunt affecti, quod saepissime in morbo Brightii evenit, diuretica non sunt adhibenda, maximeque omnium tali in casu ob nimiam, quam in renibus movent, irritationem cantharides evitandae.

Cathartica hydragoga partim antiphlogistica partim drastica sunt; in primis salina atque calomelas habenda, drasticis Colocynthides, Elaterium, Gratiola, Guajacum, Gummi Guttae, Jalappa, oleum Crotonis sunt adscribenda. Catharticis longius per tempus uti non debemus, nihil enim magis alvi profluvio vires diminuit, nihil magis assimilationi ciborum, functioni tractus intestinalis tam necessariae in hydropsiis, catharticorum abusu obest. Aegrotus quidem breve per tempus levamen aliquod sentit, neque tamen hoc diu permanet. Hydrope erethistico atque corpore adhuc vigente secundum eventum sortiri possunt. In hydrothorace nihil efficiunt.

Cutis, inprimis si valde sicca est, difficillime ad majorem actionem incitatur, aquarum vapores atque spirutuosorum, inunctiones oleosae, Camphora, Pulv. Doweri, Ammoniacum, interdum bono cum eventu adhibentur. Item superfusiones frigidae in balneo tepido, atque emetica quibusdam sub conditionibus magnam praestant efficacitatem. Si inflammatio cutis imminet, fomenta spirituosa imponenda sunt; videndum est praeterea ne cutis in rugas plicetur, culcitae plumeae rejiciendae sunt. Hydragoga varia saepissime conjuncta dantur, inprimis diu-

retica catharticis mixta; neque raro roborantia atque quae concoctionem victus augeant, medicamenta adjunguntur. Alimentum enim atque assimilatio ejus maximi in hydrope sanando momenti sunt, ne aërem salubrem, calore et frigore temperatum, atque insolationem negligenter praetermittam.

V I T A.

Natus sum ego Joannes Aemilius Niché Smigieli oppido magni ducatus Posnaniensis anno h. s. XXIII die XXIII mens. Decembr. patre Alexandro Josepho, stationario, quem deus optimus maximus ut perdiu incolumem mihi servet, quotidie precor, matre Dorothea e gente Tuchort, quam ante hos quinque annos defunctam lugeo. Fidei addictus sum catholicae. Primis litterarum elementis imbutus, puer XII annorum gymnasium adii Posnaniense ad Sanctam Mariam Magdalenam, quod tum sub auspiciis Clar. Stotz atque postea Clar. Prabucki florebat. Testimonio maturitatis instructus autumno anni h. s. quadragesimi quarti ab Ill. Hecker, tum rectore magnifico, in civium academicorum numerum receptus sum. In studiis autem meis praeceptores mihi fuere viri doctissimi, illustrissimi, celeberrimi:

Cel. Michelet de logice et psychologia; Cel. Troschel de zoologia; Ill. Schultz de botanice; Ill. Rose de mineralogia; Ill. Dove de physice; Ill. Mitscherlich de chemia; Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia, de

pathologia generali atque de historia medicinae; Ill. Mueller de anatomia, physiologia, anatomia comparata, anatomia pathologia, qui idem cum Ill. Schlemm dux mihi fuit in arte cadavera rite secandi; Ill. Mitscherlich de materia medica; Ill. Romberg de pathologia et therapia speciali; Ill. Juengken de chirurgia; Ill. Schmidt de arte obstetricia; Cel. Troschel de ossium fracturis et luxationibus, atque de arte fasciarum applicandarum.

Clinicis interfui medicis Ill. Schoenlein et Ill. Romberg; chirurgicis et ophthalmiatricis Beat. Dieffenbach et Ill. Juengken; obstetriciis Ill. Busch.

Scholas privatissimas frequentavi Dr. Traube de auscultatione et percussione.

Quibus viris omnibus gratias ago quam maximas semperque habebo.

THESES.

1. Paracentesin rarissime in hydropsiis instituendam esse.
2. Remedia popularia, quae dicuntur, non contemnenda, sed non sine deliberatione experienda sunt.
3. Utrum insultus apoplectici venaesectionem requirant, certo diremtum non est.
4. Uterus morborum muliebrium principem fontem sistit.